DE BARBA CAPRI▸ CAP▸ LXV▸

NOMINA.

Hæc herba non eſt Pycnocomõ.

Barba capri cur dicta.

NVLLO nomine ueteribus Græcis & Latinis hæc herba uocata ſit, nobis nondum compertum eſt. Neque enim Pycnocomon eſt, quòd à deſcriptione illius prorſus abhorreat. Quare Barbam caprinã interea donec certius nomen nacti fuerimus, nuncupabimus, à florum nimirum figura, quæ caprinam barbam referre uidetur. Germanicè Wald geißbart/ ut eam ſegregaremus ab altera eiuſdem nominis, quæ non in ſyluis, ut hæc ipſa, naſcitur, ſed in pratis & ſenticetis, appellare nobis placuit.

FORMA.

Caulem habet tricubitalem, anguloſum, folia Caſtaneę aut Corylo ſimilia, in ambitu ſerrata, flores candidos, exiguos, racematim compactos, inſtar barbę canæ dependentes, radicem nigram, lignoſam, intus candidam. Flores eius in iulos abeũt.

LOCVS.

Prouenit in obſcuris ſyluis, & uallibus nonnunquam minus apricis.

TEMPVS.

Floret Iunio menſe, ac ſubin de ſemen profert.

TEMPERAMENTVM.

Calidam & ſiccam eſſe hanc herbam facilè ex guſtu deprehenditur: miram enim amaritudinem, in radice potiſſimum, guſtata exhibet.

VIRES.

Abſtergit hauddubiè expurgatóq;, & quæ in uenis eſt craſſitiem incîdit. Quamobrem menſes ducit, educendoq; ex thorace, & pulmone puri auxiliatur. Et in ſum
D ma, ſiue craſſa in eis pituita, ſiue pus, ſiue aliud quippiam continetur eiuſmodi, expurgat. Hac utiq; ratione & morbo comitiali competit. Extrinſecus illita & impoſita, tumores ex pituita ortos diſcutit.

DE BLATTA-